

clusi habeantur, ac declarentur. Coepit vero ille ritus, qui manifesto indicio est ecclesiam nostram a Pontificia ejici atque damnari jam a Leone X. qui MARTINUM LUTHERUM & singulos ipsi faventes proscriptos atque excommunicatos hac bulla primus voluit, hinc eam mox ubi promulgata fuit, exprimi curavit D. LUTHERUS noster, & epicrisin, qua digna erat, subjunxit, & legitur utraque T. II. Altenburg. p. 63. seqq. ubi simul commentarii loco in bullam illam Psalmum X. Davidis ejusque illustrationem annexit, & contumeliam, qua ibi affectus erat, DEO vindicandam committit, causam interea justam strenue defendit. Conf. coeterum de hac bulla ex nostratis DOROTH. ASCIANUS *de montibus pietatis* p. 489. ex Reformatis Joh. HENR. HEIDEGGERI *Historia Papatus Periodo VII.* p. 365. Quae vero sub cortice illius fulmina lateant, fusius adhuc in alia, quae hanc antecessit, bulla, exposuit Leo X. ac MARTINO LUTHERO omnibusque ejus doctrinae adhaerentibus aqua & igni interdixit. Extat eo Tomo I. Altenburgico p. 445. descripta.

§. V.

Cum itaque, vigore harum bullarum, quid expectandum sit a judicio aulae Romanae, intelligentibus satis apparet: non mirum est, quod ex composito praecipui Scriptores Pontificii, quicquid uspiam haeresium fuit, imputarent audacter Evangelicis, atque eos pro fungis haberent, & humani generis velut quisquiliis, in quas omnes veteres haereses, quae tanto ardore olim eliminatae fuissent, noviter confluxerint, & conspiraverint. Sufficiet forte si vel quatuor testimoniis rem confirmaverimus, eorum nimirum, qui inter Scriptores illos aut primum, aut primo proximum locum sibi hactenus vendicarunt; Princeps omnium esto BELLARMINUS in purpura sua sangvinem Evangelicorum

ubi-